

Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM THEOLOGICAM
DE
AVRORA FIDEI
INTER
RATIONIS TENEBRAS

EMERGENTE,

AD IESAIAM CAP. IIX. v. 19. 20.

PRAESIDE

GVSTAVO GEORGIO ZELTNER,

SS. THEOL. D. EIVSDEMQUE ET LL. OO. P. P.

AC P. LONGE CELEBRATISSIMO,

*PATRONO ET PRAECEPTORE SVO
OMNI HONORIS CVLTV AETERNVM
PROSEQVENDO,*

DISQVISIONI PVBLICAE

AD DIEM IV. MART. A. R. S. MDCCXXIII.

SUBIICIT

AVCTOR

WOLFGANG DANIEL SONNENMAYER,
PAPPENHEIMENSIS.

Coll. diss. A
239, 51

ALTDORF,
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERL.

Diss. n. 239 (51)

LXXII. 92



CAPVT I.

SISTENS

REVELATIONEM INTER TE-
NEBRAS PROMICANTEM.

Σ Υ Ν Ο Ψ Ι Σ.

- | | |
|---|---|
| Dei Existētia & Essentia exponitur. §. I. | Turcæ cum suo Alcorano hallucinantes. §. IIX. |
| Hinc hominis obligatio deducitur. §. II. | Enthusiastæ & Fanatici Lumen Int. immediatum crepantes. §. IX. |
| Requisita Principii Cognoscendi sistit. §. III. | Divina revelatio in V. T. producitur & ut Religionis Principium approbatur. §. X. |
| Ex horum applicatione concludimus Philosophiam non esse Princip. Relig. salutaris. §. IV. | De illa in N. T. differitur, & in genere utraque Revelatio pro genuino & adequato Principio Religionis declaratur. §. XI. |
| Necessariam ergo esse revelationem specialem, hancque a falsis dignoscere docet. §. V. | Pauca his adjungit finemque huic Capiti imponit. §. XII. |
| Rejiciuntur Athei, omnesque Naturalistæ. §. VI. | |
| Gentiles sine lumine Divino errantes. §. VII. | |



Unum aliquod Ens, quod Deum vocamus, existere, & nonnisi præfractæ mentis homines id inficias ire posse, argumenta Dei existentiam probantia permulta, non dicam innumerabilia, evincunt. Quem enim latet notitia Dei insita, seu omnium cordibus inscripta, quæ potentia est propinqua assentiendi huic propositioni: Deus existit, ut loquitur *B. Musæus* (a), aut consensus gentium? quem tamen ad illam inscriptionem redire puto. Quis nescit argumenta ex Metaphysica, Physica, & Historia deducenda? quorum accuratam & satis doctam Celeberrimus *Dn. D. Buddeus*, Præceptor æternum venerandus (b), exhibet enumerationem explicationemque, quæ adducere h. l. nihil esset nisi perfecta imperfecte repeterē. Liceat tamen mihi unicum ex Physicis, quæ quidem compendiose

A ast

(a) In *Introductione in Theologiam* cap. II. §. XIX.

(b) In *Thesibus Theologicis de Atheismo & Superstitione* Cap. V. p. 356. Edit. Lat.

ast sat eleganter *Fenelonius* (c) congeffit, afferre in medium, idque a consideratione ipsius hominis defumtum. Homo enim se ipsum considerans, nullam in se, uti & aliis, necessario existendi invenit rationem, sed aliunde se provenire, (d) concludere necessum habebit, ita vero continue ascendendo, ne processum in infinitum admittat absurdissimum, tandem in prima aliqua subsistat necesse est causa, quæ Ens est a se subsistens. Suam ergo ab hoc Ente dependentiam agnoscens, in se ipso vero multa egregia (e) deprehendens, has ipsas perfectiones vel Deo sine ambagibus adscribet, vel summam Dei in ceteris mirabitur sapientiam, talemque sibi de illo tandem formabit conceptum, quod sit Ens infinitum, summe perfectum, creator rerum omnium sapientissimus.

§. II.

Cognoscens autem homo, quod a Deo dependeat, non potest non porro concludere, se eidem esse obligatum, h. e. Deo ob creationem & conservationem in se imperium competere, facultatemque leges præscribendi, & quæ sunt alia hinc profuentia. Consensum enim, pro stabiliendo Dei imperio in homines, allegare, est incongrua fingere, cum *Mose Amyraido* vero illud a præstantia naturæ aut virtutum sola, vel cum *Thoma Hobbesio* a potentia irresistibili deducere, quam inconveniens sit, illis qui justum Imperii habent conceptum, optime erit perspectum. Hinc etiam *Cl. Buddeus* horum omnium sententia rejecta, priorem satis abunde confirmavit (f). Agnito vero imperio, legibusque exinde provenientibus, studium his conformiter agendi, & magis magisque

(c) de l'existence de Dieu.

(d) Hominum genus ortum esse fatentur quidem Philosophi ferme omnes, sed in modo ortus determinando huc illucque vacillant; quorum sententias nonnunquam ridiculas exhibet *Celebr. Buddeus Hist. Eccl. V. T. Per. I. S. I. §. VIII. p. 77. 78.*

(e) Sic etiam nonnulli ex certis hominis partibus & attributis hujus existentiam pronaverunt, quos allegat laudatus *Buddeus de Atheismo C. V. §. VI. p. 419.* Quibus inter alios addendus *Celebr. Jac. Wilh. Feuerlinus in Diss. de Loquea hominis, argumento Existentiæ Divinæ.*

(f) In *Theologia Mor.* P. II. C. I. §. VII. coll. C. II. §. VIII.

que Deum cognoscendi, necessum est in homine oriatur; quod mihi, licet alii pietatem vocent, liceat dicere religionem, eamque hinc brevissime, Studium, & certum modum, Deum ut creatorem suum & conservatorem recte agnoscendi & colendi, definire.

§. III.

Religio ergo cum complectatur cognitionem Dei, adeoque sine scientia (g) esse non possit, quæ certas veritates propositionibus comprehensas respicit, hinc luculentissime consequitur, neque illam, neque modum Deum colendi, posse esse sine Principio, ex quo, qua ratione omnia sint instituenda, intelligamus, alias enim essent principiata sine principio, quod repugnans est & absurdum. Varia quidem apud Philosophos dantur Principia, scilicet essendi, fiendi, cognoscendi, quale autem hic sit intelligendum, facile est indagatu; Principium scil. cognoscendi, id inquam, ex quo res in cognoscendo dependet, seu ex quo cognitio & scientia alicujus rei est petenda deducendaque. Distinguunt equidem hoc etiam in complexum & incomplexum, cum vero hæc distinctio nobis in præsentem parum sit utilis, nos, hisce relictis, magis de requisitis necessariis sive affectionibus Principii cognoscendi erimus solliciti. Quorum I. est, ut *verum* sit. Nemo enim amat erronea & falsa, sed quilibet optat sectaturque veritatem, quæ tamen sine principio vero & genuino nulli contingit. Objicias forte: Nonnunquam tamen homines falsa ex vero etiam deducere principio; at tunc regerimus, errorem non principio esse adjudicandum, sed potius homini male judicanti, nexumque sententiæ suæ non satis accurate cognoscenti; Quandoque enim & bonus dormitat Homerus. Li-

A 2

cet

(g) Constat hinc quid sentiendum de Socinianorum hypothesis, qui totam religionem fide promissorum & observantia mandatorum comprehendunt, quos breviter & solide confutavit Burmannus in Synopsi Theol. L. I. C. II. §. 17. Utrum ab his procul absint, qui ad voluntatem magis quam intellectum referunt religionem, semper opera crepant, hominesque non satis in credendis instruunt, aliis dijudicandum relinquunt. Certus enim sum, agnita præsertim sine formidine oppositi, veritate, tum demum posse obsequium sequi genuinum.

et etiam in nonnullis difficultas materiæ videatur esse in causa, quam tamen in necessariis cognitu neutiquam concedere possum; utpote ex quo sequeretur, Deum non satis etiam necessaria nobis indicasse, quod absurdum. Requisitum II. est, ut sit *sufficiens*, h. e. ut omnia, quæ sunt necessaria ad finem *obtinendum*, possint inde deduci. Hoc requisitum ita est comparatum, ut etiam rudissimus quisque ejus veritatem & necessitatem agnoscat quam facillime. Quale enim esset principium, si hæc non inde fluerent? Si dicas imperfectum; hoc vero plane non mereri, ut vocetur principium, totale nimirum, regeram: de partiali enim hic non sumus solliciti. Tertium alias requisitum non attingam, tum quia non semper tale principium potest haberi, tum, quia, si *certitudo* in disciplina præstò est, hanc ego volo sub veritate esse comprehensam.

§. IV.

Hæcce ergo requisita Principii cognoscendi, ex Philosophia desumpta, ad Philosophiam ipsam, ad ea scilicet, quæ tradit de Deo hujusque cultu, applicaturi, concludimus: Hanc non esse Principium a nobis ut investigandum h. l. propositum §. III. Quod dum affirmo, neutiquam rejicio Theologiam Naturalem, cujus certe usus est insignis, sed Naturalismum, qui a Theologia Naturali in eo differt, quod hæc sibi honorem non arripiat, quem sibi perperam sumit ille, homines nempe, & quidem quoad statum hodiernum, ad salutem perducendi. Nam in statu perfectionis, de quo etiam Philosophia, ex collatione bonitatis perfectionisque Dei creatoris, & nostræ hodie imperfectiois, quædam concludendo assequitur, aliter esse pronunciandum per se patet. Quod si ergo quis quoad nostrum statum imperfectum Theologiam Nat. sufficientem dicat, hoc est, quod impugnamus, improbamus, & rejicimus. Quamvis enim Philosophiæ non deneganda sit veritas, attamen sufficientia, cum vel ipsius corruptionis connatæ necessariam notitiam ea non subministret. Nihil nunc dicam de ipsa Dei cognitione tanquam

quam

quam spiritus, quam enim jejuna sit Philosophia in Pnevmatologia, norunt omnes; Attingam solam Dei colendi rationem: nullum certe Dei colendi modum invenio, quam observationem legum Dei, vel compositionem nostræ voluntatis ad illius nutum voluntatemque, quam alii voce amoris exprimere gestiunt. Hic verò iterum hæret aqua, cum nec semper certi simus, quæ sit Dei lex & voluntas, aliis hoc, aliis aliud quid proferentibus. Sed missis etiam hisce, ponamus, omnia nos scire, quæ sunt facienda, unusquisque tamen hominum seipsum serio considerans animadvertet, se neutiquam in se habere facultatem quoad omnia Juri Naturæ i. e. legibus naturalibus conformiter agendi; imo licet quædam observet a se cognita, in aliis tamen se errasse etiam deprehendet. Sed finge etiam, Deum esse contentum hominum proposito ad ipsius voluntatem se componendi, (quod Indifferentistarum quorundam est figmentum) & non curare humanarum actionum a lege discrepantiam; Cogita autem, quæso, quale tibi fingas Numen & Legislatorem contra conceptum §. I. de Deo formatum. Annon hoc modo Deus esset varius, imo plane injustus? Ne vero rei per se claræ diutius inhæream, hoc unicum tantum adjungo: manifestum nimirum esse, hominem cum, ut ex dictis constat, se legem transgredi, sicque peccare cognoscit, nullum plane medium habere, Deum sibi reconciliandi (h). Id quod fortassis etiam ipsi gentiles (licet etiam alia subesse potuerit causa) agnoverunt, sine lumine revelato errantes, dum sacrificia ad hoc obtinendum

A 3

nendum

(h) *Nemo autem mihi ex Celeberrimi Dn. Pfaffii Diss. de Præjudiciis Theologicis §. 17. p. 41. objiciat: Hominem plane necessitatem satisfactionis seu reconciliationis ignorare. Nam loquitur Vir Cel., ni fallor, de satisfactione theologica, hujusque toto ambitu, ac proinde non negat, hominem agnoscere necessitatem reconciliationis, sed tantum dicit, quod satisfactio theologica Sc. tantis sit circumscripta difficultatibus, ut solvi omnino nequeant, si ad rationis nostræ modum componantur, cujusmodi tamen, ratione Trinitatis & Originis mali, hic etiam adductis, tollit ipse difficultates in Dissertat. Anti-Belianis omni eruditionis apparatu conscriptis.*

nendum adhibuerunt (i), quibus tamen per se tale quid tribuere, esset cum ratione insanire. Sed objectantes mihi videor audire: Attamen hominem posse sibi reconciliatum reddere Deum, post peccata commissa, si ad illius nutum vivat. Sed ut omittam justitiam Dei eamque infinitam læsam, cui impar est omnis obedientia pacandæ, illud tantum regerere liceat: Quod si iterum peccat, siccinne in perpetuum vicissitudo locum habebit? Tam perfectum enim esse hominem ut non peccet, nemo nisi imperfectio- nis humanæ ignarus, suamque prodens arrogantiam asseret. Quam imperfectionem etiam acutissimus *Gundlingius* (k) agnoscit, statuens voluntatem immediate, intellectum vero mediate esse corruptum; quam sententiam non hujus loci esse puto, latius deducere, cum satis sit, hominem ita esse corruptum, ut non possit per se Deum sibi reddere placatum. Hæc ergo omnia cum non mon- stret Philosophia seu Theologia Nat. consequens erit, hanc non esse Principium Religionis, quale exposcimus, seu genuinum: id quod etiam alii (l) latius tradiderunt, quos qui cupit & avet, adeat.

§. V. Quæ

(i) *Contrarius hic mihi videtur Celeb. Buddeus Hist. Eccl. V. T. P. I. S. I. §. XXX. p. 143. Sed rebus accuratius consideratis non obflare mihi, sed potius favere deprehendi, quod præcipue ex collata Diss. de Pietate Philosophica, quæ est in Selectis Juris Nat. & Gent. §. XL. p. 231. elucet. Loquitur enim Vir Celeberrimus, de in- ventis, ego vero de adhibitis remediis; potuerunt ergo alii sacrificia ex alio prin- cipio invenire, & aliâ hæc in allegatum usum adhibere. Sicque multo magis constat, me non facere cum Grotio, cujus sententia legitur in Lib. de Veritate Rel. C. L. V. §. VIII. p. 227. 231. Eandem de adhibitis sacrificiis conjecturam habet Apologia A. C. p. 255.*

(k) *In Otius P. I. p. 206. & P. III. p. 65. nota n.*

(l) *B. Bajerus Compendio Theolog. Posit. Proleg. C. I. §. ILX. Grotius in eleganti sane libello de Veritate Relig. Christianæ, licet non in omnibus sit approbandus. B. Musæus Diss. de Insufficiencia Theol. Nat. contra Ed. Herbertum de Cherburi. Cel. Buddeus in Diss. inaugurali seu Animadversionibus in Petri Chauvini librum de Relig. Nat. quæ est in Parergis Historico-Theologicis ultima. Hi duo tamen posteriores magis theologice, quam philosophice rem pertractarunt; cum haberent adversarios Scripturam Sacram recipientes, admittentesque.*

§. V.

Quæ cum ita sint, num rejecta Philosophia desperabundus abjiciet simul homo animum? num negliget cultum Dei, religionemque? num manendum erit in hoc statu miserrimo? Minime gentium. Consideratio bonitatis Dei, jubet meliora de Deo sperare. Concludet ergo: Aut homini est pereundum (siquidem Deo irato non potest non esse infelicissimus, sive dicas usque ad mortem, sive etiam post mortem: Animam (m) enim post eam superesse, Philosophiæ admodum conforme est, quæ ne quidem ratione resurrectionis corporis aliquid validi habet, quod opponat (n);) Aut Deus aliud medium expiationis dedit, revelavitque; quorum prius cum sit absurdum, firmo stabit talo posterius. Adsit ergo oportet speciali modo revelatum Principium. Cum vero variorum commenta, Imo deliria, Revelationis superbiant titulo, maximam hic imo periculosissimam viam homo ingreditur, verum scilicet ut a falso discernat Principium operam daturus. Multi (o) quidem de hac materia jam multa tradiderunt. Cum tamen nonnulli nimis prolixi sint, & alia incedant via, liceat mihi, quæ mea sit sententia, paucis proponere. Hanc enim sufficere mihi persuadeo pro invenienda Vera & Genuina Revelatione, si scilicet ea quis, quæ §. III. adducta sunt in medium requisita, omnibus ubique obviis, hæctenus adhuc æqualibus, applicet revelationibus, sed eo, quo decet modo, & quidem hac intentione

-
- (m) *Immortalitatem animæ probat Grotius de V. R. C. L. I. §. XXII. p. 79. seq. Sed miror illum hanc ex traditione deducere, cum apodictice possit probari ex consideratis Intellectus & Voluntatis operationibus, conf. Budd. in Program. de Arabicorum hæresi, quod in Syntagm. IV. est. Add. theses de Atheismo C. VII. §. II.*
- (n) *Vid. Connor in Evangelio Medici, qui tamen extra oleas tandem vagatur.*
- (o) *Quos ex parte nobis sistit Morhofii Polyhistor. T. III. L. V. 7. p. 528. Inter hos eminent Huetius in Demonstrat. Evangel. Grotius de Veritate Relig. C. Signæ. Stillingfleet in Originibus Sacris, quæ ex Anglicano in Germanicum idioma versa prostant, Bremæ 1695. &c. In Compendio legi meretur T. I. Der freywilligen Heb Opffer. Obs. XLV. 677. & Obs. XLVI. 688. Et breviter quoque sed acute buddens in Philosophia Mor. P. I. C. VI. §. LXIII. hac de re agit.*

tione, ut sibi & Conscientiæ suæ quisque consulat. Qui enim aliam ineunt viam, quid mirum, si a recto Veritatis tramite in devia aberrent?

§. VI.

Faciamus itaque esse cœtum Atheorum; inter hos sane nullum erit principium, nullum quippe, (impie licet) credentes Deum. Dixi notanter; Ponamus: nam revera nullum esse, neque dari etiam posse, bene constat. Prius alii jamdudum probaverunt, quos videre licet apud *B. Grapium* (p) indicatos; posterius vero patet exinde, quia nullus cœtus potest esse sine pactis, hæc autem sine Deo observari posse, nemo nisi doctrinæ moralis ignarus asseret. Hinc facile erit quæstio dijudicanda, an atheismus necessario ducat ad morum corruptionem? Cum qua connexa est hæc, an omnino dentur Athei? & aliæ his similes, quæ in Scriptoribus contra atheos solvuntur: quibus autoribus adjungendus nuperrimus *Thomsonius*. (q) Atheis rejectis succedant Naturalistæ, iis in tantum meliores, quatenus agnoscunt Deum indeque promanantem religionem, in hoc tamen errantes, dum pro principio allegant Theologiam Naturalem, Philosophiam seu Rationem; id vero quam illepide fiat, satis superque ex §. IV. constat. Tales jam olim exstitisse, & hodie adhuc existere, nemo dubitat. Nolo in præsentem producere in scenam Pelagianos & Socinianos, & qui cum illis naturam plus justo extollunt (r), quippe qui ad conversionem hominum, & vires ad eam (ut putant) per naturam sufficientes potissimum respiciunt, quanquam & ipsi satisfactionis infinitæ necessitatem inficientur. Sufficiat tantum nomina Latitudinariorum commemorasse, quorum aliqui ad ipsum quoque

(p) In *Theologia recens controversa*. T. I. Q. VI. p. 26. Prolixior vero hoc est *Cel. Buddeus de Atheismo* C. V. §. I. 363. C. IV. §. V. 346.

(q) In scripto contra *Atheos Bremam* transmisso, ut ibi excuderetur, cujus sciagraphiam nobis exhibet *Bibliotheca Brem.* Fasc. I. Cl. VI. p. 201. ex qua patet, librum haud dissimilem esse *Buddeano*.

(r) *Buddei Diss. de Pelagianismo in Eccl. Rom. triumphante.* &c.

que Naturalismum præcipites acti sunt. Quo referendus Ed. *Herbertus de Cherburz* cum suis quinque articulis, quem solide confutarunt, *B. Musæus*, *Gerh. Titius*, *Chr. Kortholtus* aliique ex nostris plures. (s) Huc etiam pertinet *Petr. Chauvinus*, qui possibilitatem saltem salutis ex ratione vult probare, a *Cl. Buddeo* (t) examini subjectus erudito. *Utrum & Zwinglius* (u) huc sit referendus nec ne, de quo proverbium circumfertur: Nolo in coelum Zwinglii, metuo clavam Herculis; alii dispiciant. Remonstrantes etiam quosdam non dissimilia docere, non dubitare nos finit Summe Reverendus DN. PRAESES, Præceptor æterna pietate colendus (x). Nec est, quod cum mortuis nos belligerari dicas; hodie enim tales Naturalistas adhuc existere, neminem credo esse negaturum, nisi qui homines eorumque mores non novit. Nil enim nisi Naturalismum sapit, si quis revelationem Divinam, conciones, mediaque divina, tanquam minus necessaria, seu tantum ad statum Reipublicæ facientia, habet profiteturque. Sed audio hic mihi opposcentes: Religio tamen Naturalis est maxime rationalis, majorique nititur evidentia quam religio revelata; sed largiamur hæc esse vera (licet in subsequentibus de Scriptura S. maximam simus probaturi certitudinem, imo certo sensu & evidentiam) attamen non bene agit, qui religionem Naturalem revelatæ præfert, uberiores enim hanc illa esse, quilibet fateatur necesse est, qui collationem inter §. IV. & X. ac XI. instituere non gravabitur. Naturalem hinc religionem revelatione abjecta arripere, perinde esset, atque imperfecta perfectis temere antepone-re, suisque adeo viribus plus justo tribuere. Sed missis hisce ad Ethnicos est pergendum.

B

§. VII. Gen-

(s) *Musæus* In *Diss. ad §. IV. allegata*. *Titius* autem de *Insiuff. Relig. mere Naturalis ad consequendam vitam post hanc meliorem*. *Helmst. A. 1667*. *D. Kortholtus* denique de *tribus Impostoribus*, inter quos primum *Herberto* dedit locum.

(t) In *Diss. ad eundem §. allata*.

(u) *L. I. de Providentia P. I. Opp. fol. 370*.

(x) In *Breviario Controversiarum cum Remonstr. Contr. I. p. 4*.

§. VII.

Gentiles, partim quæ ratione, partim quæ traditione nituntur, habere ac observare, passim videmus. De majorum traditionibus nos dubitare non permittunt, superstitioni, quos observant, ritus a parentibus etiam olim observati. Quid? quod *Symmachus*, *Libanius*, alique dixisse perhibentur: Servandam esse tot seculis fidem, & sequendos nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Cujusmodi & alia circumferuntur; quæ omnia, præcipue vero & *Lactantii* egregium hac de re testimonium, qui cupit legere, conferat omnino *Stillingfletium* (y) prolixè hæc tractantem solidissimeque refellentem. Sed quid opus est multis? Exinde certe odium omne erga Religionem Christianam, suam duxit originem, quod novam esse sibi persuaserunt, ut Acta Apostolorum nos edocent (z). Quod vero etiam gentiles quædam ex ratione desumerint, aut saltim se deduxisse opinati sint, per se patet. Hinc *Emilianus* christianos, ut ad castra gentilium redeant, adhortatus: ἐπὶ τὸ κατὰ φύσιν τρέπεσθαι, ἐπιλαθέσθαι δὲ τῶν παρὰ φύσιν, quondam iussit (a). Qui vero adhuc de hac re dubitat, conferat *Grotium* (b). Quid? quod aliquos ritus ex huius vel illius voluntate excogitados esse, negandum non est, id quod iterum sapit rationem, licet perversam: Non tamen abnuo gentiles etiam, quædam ad Judæorum mores introduxisse. Vnde ortus est aliqualis Religionis Gentilium consensus, cum Religione revelata a nonnullis ex instituto probatus, in quo valde operosus est *Hugo Grotius* (c). Qua tamen in re caute esse procedendum alii monuerunt.

(y) In Originibus Sacris C. IX. §. XXI. p. 618. seqq.

(z) Act. XVII. 18. & alibi.

(a) Ex Eusebio hæc adducit Stillingsflet. l. c. p. 631.

(b) l. c. L. IV. §. XII. p. 207.

(c) l. c. L. I. §. XVI. p. 37. Obiter hic noto, Græcorum Hyrieum & Orionem ab Abrahamo & Isaaco originem duxisse, id quod J. G. Michaelis Diss. vult, quæ exhibetur in Bibl. Brem. Cl. VI. F. I. p. 51. Quanquam particularibus hisce non opus sit observationibus, cum Cl. Ad. Erdm. Mirus Lib. cui tit. Fabeln welche der Satan aus der Schrift N. und N. Test. gemacht, 1720, ed. pleraque ordine Scripturæ servato exhibuerit in Compendio.

nuerunt. Huic equidem consensui maxime contrarius esse videtur Dissensus Gentilium, seu convitia, quibus tum Religionem Judaicam, quam Christianam lacerabant (d). Sed ex hoc consensu & dissensu Gentilium, meum assertum haud leve accipit fulcimentum. Dissentiebant enim in iis, quæ contra rationem esse putabant, consentiebant vero in illis, quæ vel rationi conveniebant, vel saltem convenire putabantur. Hæc ergo religio nobis, dum principium Religionis certum & sufficiens quærimus, non satisfacit: ratio enim est insufficientis, & traditiones sunt incertæ, sæpe etiam irrationales, & semper quoque insufficientes. Plura addere superfedeo, cum, quæ Dei est gratia, apud nos nullum horum supersit vestigium, Christiana contra religio has terras sua luce irradiavit, suoque implevit splendore. Addatur etiam quæ plura contra hanc Gentilium Religionem tradit *Grotius* (e).

§. VIII.

Melior equidem, si comparetur cum Gentilium religione, est Turcarum sive Mohammedistarum, aut Muslemanorum, (quod nomen omnium maxime ipsis arridet,) religio, cujus Sciagraphiam mihi exhibuit *B. Neumannus*, & nuperrime clarissimus *Dn. Reime* (f). At enim vero neque is in omnibus approbandus est cultus. Sunt quidem etiam nonnullæ sectæ inter Turcas, huc illuc fluctuantes, aliæ aliis meliores, certe in nonnullis multum ab invicem discrepantes; in hoc tamen conveniunt omnes, quod cum approbent quidem nonnulla ex V. & N. Testamento (g), Scripturam tamen Sacram esse corruptam, hinc non omnem illi esse adhibendam fidem, majorem contra tribuendam auctoritatem Alcorano

B 2

a Mo-

(d) *Convitia contra Judaicam exhibet Budd. H. E. V. T. Tom. I. P. II. S. I. §. XXXI. p. 679. Quæ contra Christianam vero pronunciata sunt, de illis idem in Diss. de Veritate C. R. Philosophorum Gentilium obtreclationibus confirmata in Syntagmate. p. 453. est consulendus.*

(e) *l. c. L. IV. p. 183.*

(f) *Ille in Trutina Relig. cum notis Castenii P. I. C. VIII. hic vero in Diss. Theologia Mohammedica Jenæ excusa.*

(g) *Inspectio Corani hoc docet vid. Diss. cit. §. IV.*

à Mohammede compilato, uno ore perhibent. Cujus Alcorani brevem historiam nobis exhibet *Buxtorffius* in *Diss. de h. m.* (h) Cum ergo religionem primario fundent Turcæ super unius hominis traditionem & figmentum, idque præponendo S. Scripturæ, non potest non hinc consequi, hoc principium minimum in nonnullis non esse verum, multo minus certum, & dein quam maxime insufficiens. Si objicias: non recipere Turcas traditionem istam tanquam humanam, sed constanter perhibere, hanc doctrinam a Mohammede in Corano conceptam, a Deo provenire, Muhammedem enim Dei fuisse Apostolum, & hujus jussu hæc eum omnia consignasse, superstruere ergo religionem quam maxime super revelationem aliquam divinam; sed licet hæc perhibeant, attamen ab aliis jam ostensum est, maximis Coranum laborare erroribus, scaterere contradictionibus, & carni corruptæ gratis promissionibus blandiri mortalibus; quæ sane neutiquam cum Revelatione Divina conveniunt. Hæc enim debet esse vera, pura & certa; cum ergo hujus generis non sit Alcoranus, consequitur, hunc potius Muhammedis esse introductum impostura, ac proinde etiam unius hominis auctoritate sublesta, totam hanc niti religionem. Quid? quod etiam insufficiens est Alcoranus, tam in eo, quod nil pro reconciliatione hominis cum Deo, nisi mera hominum opera adducit, qui reconciliandi modus vero jam ad §. IV. est rejectus, quam in hoc, quod modum affectibus humanis ponere non docet; hinc etiam maxima apud Turcas & quidem licite grassari vitia perhibentur. Quæ tamen copiosius pertractare hujus non est loci institutique, cum is, qui plura de hac religione desiderat, possit conferre Authores (i), qui contra hanc scripserunt, pugnaruntque.

§. LX.

Prodeat nunc cohors Enthusiastarum, Fanaticorumque & aliorum cum illis diversimode facientium, in multas omnino sectas divisa,

(h) *Quam totam sistit Bibl. Brem. Cl. VI. fasc. II. 271. cui adde D. J. M. Langii Diss. de Edit. Alcorani. &c.*

(i) *Quos dabunt notæ Castenii ad Neum. Trutinam l. c.*

divisa, ita ut quot ferme capita, tot etiam sint sensus. Conveniunt tamen in hoc, si non omnes, saltem plerique, quod Scripturam quidem approbent, sed tantum dicis gratia, & non ut divinum principium, siquidem hujus explicationem ad revelationem internam immediatam, cuilibet, dummodo hanc expetat, obviam reducunt, & sic Lucem internam (quam tamen, ut non nemo loquitur, nemo videt nisi Lucifuga) pro principio habent agnoscuntque, præcipue cum majorem Lumini interno, quam Scripturæ S. adhibendam esse fidem, aperte profiteantur. Quam lubricum autem hoc sit fundamentum, sciunt ii, qui malitiosam & depravatam hominis utcunque norunt naturam. Quid enim obstat, quo minus alius hæc, alius alia, pro veris & faciendis habeat, secundum suos, quos sibi formavit, conceptus: Nihil ut nunc dicam de iis, qui se aliosque, novis suis revelationibus toties fefellerunt. Objiciet vero hujus generis propago: Non impossibile esse (k): Deum hodie quædam *ἀμείωτος* revelare, cum etiam hoc in Veteri & Novo Testamento sit factum. Resp. Non equidem nego, Deum adhuc posse præsertim civilia & politica revelare, sed Deum hoc facere velle ac solere, id illis incumbit probare; quoad spiritualia vero, seu ea, quæ religionem concernunt, hodie in totum nego immediatam revelationem, cum alia ratione Deus nobis suam revelavit voluntatem, imo dudum revelare debuit. Si enim hi Neoprophetæ demum Dei voluntatem indicarent, quomodo ii, qui ante hæc tempora vixerunt, salutem essent consecuti? Si dicas, his sufficientem fuisse Scripturam S. eo ipso in te suscipies onus probandi, hanc hodie non sufficere; Quod si regeras, illos etiam internas ac vere divinas habuisse revelationes, hoc iterum erit probandum, idque dum probari non poterit, solis conjecturis nitentes tua aliorumque fluctuabunt animæ. Sed quid opus est ambagibus, cum ipsa hæc interna revelatio careat repositis

B 3

Prin-

(k) Vid. B. J. G. Neumanni, *Programma*, in quo male Fanaticos a posse ad esse concludere ex professo demonstrat, quod in *Programmatibus XII. est.*

Principii Cognoscendi. Non enim semper est vera, id quod contradictiones & prædictiones, quibus tamen nullus respondit eventus, arguunt. Imo nec est sufficiens ad salutem, siquidem non monstrat medium reconciliationis & salutis. Quæ enim Fanatici dicunt vel fingunt de Christo interno, ipsi non intelligunt, ad minimum aliis explicare nequeunt. Cæterum notas & characteres Revelationis Divinæ, tum quoad propriam, quam alienam personam, h. l. adducere supersedeo, cum scopus Dissertationis hoc non requirat, alique idem argumentum jam tractarint, hominesque spiritu fanatico inflatos abunde satis refutarint. (1)

§. X.

Omnibus hætenus adductis religionibus præstat quidem Judaica, utpote quæ nititur Lege Dei seu V. T., cujus ipsa inspectio originem prodit Divinam, eaque de re eo minus est dubitandum, quia huic V. T. requisita conveniunt supra adducta. Paucis tamen hic me expedio, plura ad §. seq. dicturus. Veritatem V. T. nemo qui modo recte & cum attentione, & non ex pruritu alios vexandi legit, potest inficiari. Non adferam, quod Gentiles etiam in Veritate nonnullarum rerum cum hoc conveniant, quod §. VII. fuit notatum; Sane res ipsa loquitur, hoc scriptum omnium antiquissimum, idemque miraculis manifestis confirmatum esse, ac præterea originem rerum omnium tam convenienter Philosophiæ tradere, ut nil supra, quæ certe & alia plura veritatem hujus Scripti sic satis demonstrant. (m) Non minus autem V. T. convenit etiam sufficientia. Loquor autem de illo statu quo hæc revelatio per Mosen & Prophetas est facta, quoad hunc illud dico sufficiens, ratione nempe informationis de Voluntate Dei, & modi eum recte cognoscendi & colendi, itemque medii ex miseriis emergendi, h. e. per mediatorem Ceremoniis præfiguratum, ast fide apprehen-

(1) Celeber. Bajerus in *Diss. de Phantasia matre Enthusiasmi*. Buddeus in *Commentatione de Criteriis Veræ falsæque inspirationis, & plures tandem, si non omnes autores Antifanaticos nobis sistunt Aulores* Der Unsch. Nachr. passim.

(m) Cel. Joh. Alphonii Turrettini *Diss. de Veritate religionis Judaicæ*. A. 1717. ed.

hendendum, vitamque beatam consequendi, (n) quæ omnia
 ocularis demonstrat intuitus. Et utinam in hoc antiquæ Eccle-
 siæ Judaicæ principio progenies Judæorum persisteret, perstitis-
 setque! Sed proh dolor! Sanctissimus iste veritatis fons multum
 est depravatus, distinctione inter Legem scriptam & non scriptam;
 ex qua dein Mischna tunc Gemara, totumque Talmudicum illud
 chaos, pestis Judæorum, perniciosissimam suam traxit originem (o)
 Licet autem V. T. conveniat Veritas & Sufficiencia, hodie tamen
 si quis eo, quem tradimus modo, principium Relig. investigaret,
 non posset ad Judæorum, transire castra. Respicit enim V. T.
 ad alia futura, eaque perfectiora quæ ipsummet non sistit, sicque
 caret complemento. Nolo hic multa congerere, cum satis meum
 assertum confirmetur vel ex solo Jerem. C. XXXI. ubi Deus ipse
 de alio futuro loquitur Testamento, contradistincto V. T., hoc
 vero tempus quo incipere debuit, jam præterlapsum esse, ut alia
 loca, ita cum primis Gen. XLIX. & Dan. IX. evincunt. Nemo
 ergo me arguat contradictionis, si Vetus T. sufficiens & insuffi-
 ciens vocavi, sufficiens enim illud dixi ratione antiquæ religionis,
 insufficiens vero ratione status hodierni. Firmiter itaque mihi
 licebit concludere: V. T. sine complemento consideratum non
 esse Principium Relig. Cognoscendi, adæquatum scilicet perfe-
 ctumque.

§. XI.

Quod si quis V. T. ut divinam recepit revelationem, hujus
 Complementum inquirat oportet. Id quod facile invenietur &
 ab aliis discernetur figmentis, dummodo applicentur ea omnia,
 quæ V. T. de Novo. indicavit, præsignificavit, prædixitque. Hæc
 omnia

(n) Male ergo Grotius l. c. L. II. §. IX. p. 103. dicit: nil nisi corporalia Judæis in V. T.
 esse promissa & §. 106. de Anima post hanc vitam, usque ad Christum tantum
 adfuisse conjecturam & traditionem, a Christo vero immortalitatem esse promissam,
 hinc etiam ad §. V. a me notatus. Prius vero ipsa Vet. Test. inspectio refutat.

(o) Buddeus Historia Philosophiæ Ebr. Pfeifferus in Critica S. Prius Introductione
 in N. T.

omnia autem cum videamus N. ita dicto T. convenire, quis aufit hujus divinam negare Revelationem. Non spernendum hinc N. T. divinitatem, ex V. probandi esse modum spero; neutiquam tamen mens mea huc redit, ac si T. N. non alios etiam, suosque haberet characteres proprios, divinam arguentes originem. Qui facta Christi, & Apostolorum recte perpendit, facile illos deprehendet; praesertim cum facta illa contigisse, negari haud possit, ut pluribus probavit *Grotius* (p). Quaestio hic posset moveri: An, sicut V. T. indigeat N. T., hoc etiam illius subsidio opus habeat? Ad quam respondeo: Mihi utique N. T. videri requirere V. T. a) ad Divinitatem N. T. probandam, b) ad melius hoc intelligendum, c) ad cognoscendas Prærogativas N. præ V. & Judicia Dei in Ecclesiam Judaicam melius percipienda, &c. Sed hisce non immoror, de tota potius Scr. S. quædam dicturus. Scripturam Sacram V. & N. T. constantem, esse Principium Religionis, quod nos investigavimus, exinde patere, prorsus credo, quia illi requisita a nobis adducta conveniunt. I. *Veritas*: Res in Scr. S. contentæ, vel conveniunt rationi, vel sunt supra illam positæ. De illis non est dubitandum, quin a quolibet pro veris habeantur: his vero supra horizontem nostrum positis, nemo potest veritatem denegare, quia ad rem absurdam dicendam & demonstrandam, pertinet clara idea, harum vero cum non habeamus conceptum, eo ipso, quia sunt supra rationem, non possumus etiam dicere quid eis repugnet. Quæ hisce Mysteriis & miraculis opponi possunt, solverunt alii. (q) Satis est, quod ex his, quæ non sunt mysteria seu miracula, originem divinam agnoscere, atque ita etiam pro Mysteriorum Veritate pronunciare possimus, præcipue cum his nil opponere queat Philosophia, sed ipsa potius Deo omnia esse possibile affirmet. Quicquid vero hujus sit, omnia in Scriptura S. vel sunt Moralia, quæ perfectissima nemo negabit: vel Doctrinalia, quæ modo, etiam

(p) l. c. C. II. p. 87.

(q) Vid. Piaff. in *Diff. Anti-Beliana*.

etiam in Myſteriis vindicavi: vel Historica, quæ vera eſſe confidentur nonnulli; qui autem negant, nullum antiquiorem, quem opponant, habent authorem, atque hinc jure, abſurditatis accuſantur. Hæc omnia, & præcipue Vaticinia, horumque eventus, & authores, multis licet ab invicem diſſiti annis, in uno tamen convenientes omnes, item, quod talia tradant, quæ homines ſibi relictæ non potuerunt invenire, hæc, inquam omnia abunde probant Script. S. Veritatem. In difficultatibus autem, eidem Scripturæ S. objectis, ſolvendis, laborioſi ſunt & fuerunt noſtrates. Satis quidem Veritas Divinam arguit Scripturæ S. originem, magis tamen adhuc II. *Sufficiencia*. Nihil profecto in Religione ut neceſſarium poteſt excogitari, quod non tradat Scriptura eadem. Modus Deum colendi, Philoſophiæ quam maxime eſt conveniens, plane hæc Revelatio ſatisfacit noſtro deſiderio, emergendi ex omnibus difficultatibus & ærumnis: adhæc modum ponere docet affectibus, qui non refrenati homines reddunt miſerrimos. Taceo, in hiſce omnibus maximam comparere Sanctitatem, quæ non leve pro Divinitate Scripturæ S. præbet argumentum; revelationem enim Divinam etiam hoc neceſſario gaudere adjuncto, nemo eſt qui negat. Atque huc mihi referenda videtur, acuta illa *Episcopii* argumentandi ratio, quæ huc redit: (r) Aut Scriptura S. eſt a principio bono aut malo; non ab hoc, quia ad omnis mali tendit deſtructionem, ergo a bono: Hoc vel eſt Deus, vel homines, vel angeli. Non provenire potuit ab angelis, quia ſe mentirentur Deum, & ita non eſſent boni; non ab hominibus, quia eadem hic militat ratio, adhæc talia quæ hominum ſuperant vires, Scriptura S. continet, inſuperque hominis depravatæ naturæ, dum ſanctam præcipit vitam, maxime adverſatur. Remanet ergo Deus, cujus naturæ omnia, quæ in Scriptura S. ſunt, accurate conveniunt. Hæc omnia ſi quem non movent, non ſanæ mentis eſſe modo, & helleboro indigere mihi perſuadeo, ex abundanti tamen hæc

C

adhuc

(r) *Inſtitut. Theol. L. IV. S. I. C. IV.*

adhuc addo : Religionum optima est recipienda ; hanc autem esse Christianam, hætenus vidimus : Ergo hanc amplectamur oportet. Posito etiam (quod tamen nunquam concedi potest), non esse post mortem, animam superstitem, & sic Verbum Dei aliis religionibus non præstare : Attamen exinde se commendaret Scriptura S., quia animum in hac vita tranquillum reddere potest, seu ut Atheus ille *B. Spenero* dixit : (s) melius esse solatium, licet falsum, quam plane nullum habere.

§. XII.

Luculenter ut puto, hætenus, quoad fieri potuit, probavi, Scripturam S. esse divinam revelationem. Potuiffem quidem plura addere, sed scopus fuit observandus, & nonnisi introductionis loco, quæ adducta sunt, fuerunt adducenda. Non possum tamen quin pauca adhuc adjungam. Hæc omnia cum jam conscripta essent, perlegendam accepi *Diss. Celeb. D. I. M. Langii*, (t) in cujus *Diss. parergo I.* in quæstionem : Utrum si Veritas religionis Christianæ evidenter dicatur demonstrari posse, Pelagianismum id oleat? inquirit, & paucis hanc materiam, quinque orbi erudito ad solvendum propositis problematibus perdocte tractat : Utrum & ego inscius, si non omnia, attamen nonnulla solverim, penes te *B. L.* erit judicium. Longius equidem, quam ego, *Vir Celeb.* maxime ad sufficientiam respiciens, videtur progredi. Mihi vero sufficit, si ejus Demonstratio Religionis Christianæ non favet Pelagianismo, multo minus mea ; quoniam ego non ex natura hominis deduco medium restitutionis, sed tam ex consideratione hominis, quam existente jam Revelatione Divina, quæ reconciliationem promittit, pro hujus præ aliis omnibus religionibus concludo Veritatem. Et sic etiam, licet plane non faciam cum *Bælio*, qui Philosophiam & Theologiam irreconciliabilem dixit (u), non tamen etiam

(s) *Quæ ex Spenero adduxit Grapius l. c. Q. VI. p. 30.*

(t) *De Fabulis Mohhammedicis.*

(u) *Ideo etiam admodum castigatus à Cel. Pfaff, Diss. cit.*

am omnino cum aliis consentio, qui nimium pro concilianda ratione & fide laborant. Hæc itaque (ut in compendium, quæ dicta sunt, contraham) mea est sententia: Principium in hoc negotio non sensu strictissimo esse adhibendum, sed latiori, ita ut Scriptura S. ita audiat, ob aliquam cum principiis Philosophicis, conformitatem; & sicut de veritate alicujus principii certi non reddimur, nisi ipsa inspectione & usu, sic etiam de Scriptura nunquam certi erimus, quod sit principium, nisi illam adhibeamus, applicemus & consideremus. Forfan nonnullis arridet, quod Principium hic ferme sumatur, ut Principium seu fundamentum in Historia, v. g. si quis aliquid dicit, adducere debet aliquod Principium, seu testem fide dignum: Sic etiam nos, cum dicimus, hæc esse credenda aut facienda, ratione cognitionis & cultus Dei, habeamus oportet principium; quod est Scriptura Sacra, cujus ἀξιωματικότητα per ea, quæ hæctenus docui, fuit probata. Quod superest, spernenda quidem non sunt hæctenus adducta argumenta, sed potius digne æstimanda: faciunt enim contra Anti-Scripturarios, faciunt ad Religionem Gentilibus & aliis commendandam; at majoris tamen semper facio testimonium Spiritus S. in nobis per verbum ipsum, utpote quod gignit fidem divinam, h. e. certam, immotam, immutabilemque, quæ quomodo oriatur & conservetur (x), alii docuerunt. Et si quis priora illa adhibeat argumenta, vel saltem ea ut humanum æstimet testimonium, justaque intentione tunc Verbum Dei legit, & omnia superius dicta in illo invenit, atque sic obicem non ponit Gratia Dei prævenienti, non dubito quin Deus hujusmodi animum magis magisque sit illustraturus, inque Veritate confirmaturus. Quo facto lux quasi in eo exoritur, surgetque & emerget ex media nocte aurora, h. e. post hæc argumenta adducta, Deus ita collustrabit animum, ut tam certus de Scripturæ Sacrae Divinitate fiat, ac certus is est, qui Lumen videt, percipitque.

C 2

pitque.

(x) Vid. Pfaff. Diff. cit. & Amici nostri Gottfr. I.omeri Diss. sub Præsidio S. R. Da. D. ZEITNERI habita, de Scriptura S. Divina sua luce radiante.

pitque. Et ad hæc multum conferre puto, si in Scriptura Sacra ipsi inveniamus diserte præceptum, hanc ut Principium Religionis esse recipiendam; cujus tenoris argumentum seu specimen sequenti Capite dare conabor.

CAPVT II.
AVRORA FIDEI TENEBRAS
DISCVTIENS

Ad
IESAIAE IIX. 19. 20.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

SECTIO I. EXEGETICA.

Deus ipse nos ad Scripturam Sacram ut principium Religionis ablegat. §. I.
Speciatim id patet ex loco allegato, cujus coherentiam monstrat. §. II.
Uterius illa, & totius Capitis sensus sistitur. §. III.
Hoc stabilito, falsum principium in h. l. oc-

currens expenditur. §. IV.
Contra verum, quod Propheta substituit, explicatur. §. V.
Ratio, qua id commendatur, ostenditur. §. VI.
Explicatione Cl. Hasæi considerata, Sectio finitur. §. VII.

SECTIO II. DOGMATICA.

Primum dogma, quod Scriptura S. unicum sit Principium Cognitionis, exponit. §. I.
Modus, quo Pontificii id adhibeant Princi-

pium, exponitur. §. II.
Quo Reformati, & alii docetur. §. III.
Male hi, optime Lutherani. §. IV.

SECTIO III. MORALIS.

Non vero tantum in theoreticis, sed & practi-
cis Scriptura S. est consulenda. §. I.

Cuius modum proponit, finemque toti tractationi imponit. §. II.

SECTIO I. EXEGETICA.

§. I.

Postquam manucente Philosophia, Cap. I. ea, qua fieri potuit, brevitate & claritate, existentiam divinæ revelationis evici, eamque in Scriptura Sacra inveniendam esse, per quendam quasi ψηλαφισμὸν, ostendi; progredior nunc ad alteram

alteram partem, qua ex ipsa Scriptura S. probaturus sum, Deum ipsum eandem nobis divinam revelationem, ut religionis principium, recipiendam injunxisse. Non est quod rideat hunc laborem Scepticus, absconam putans ex Scriptura, Scripturae probationem. Nolo regerere, etiam in Philosophia Solem ex Sole demonstrari, sed sufficiat dixisse: hominem hic supponi, qui vel per dicta a nobis Cap. I. de Divinitate Scripturae S. jam persuasus est, vel qui lectione Verbi Dei, Spiritus S. gratiae convictus, certa eam credit fide, & sic idem verbum tantum rimatur, quo certior fiat, se recte agere, quando hanc Scripturam pro regula & norma suae habeat religionis. Praesto sunt equidem multa eaque elegantia loca, id quod volo, comprobantia, quae digna essent consideratione omnia: v. gr. (a) Deut. IV. 2. XII. 32. & cum primis Joh. V. 39. ubi Christus Scripturam Sacram ut principium religionis apertissime ad scrutandum proponit, ea adjecta ratione, quia possit deducere ad vitam aeternam, monstrando scilicet Christum mediatorem, ipsamque adeo viam ad salutem; cum vero hoc universa faciat Scriptura, universam etiam scrutemur oportet. Pari modo Luc. XVI. 29. Moses & Prophetae audiendi proponuntur, & quidem non obscure addita promissione, de effectu, quod his ductoribus omnes possint effugere aeternam damnationem. Nec adducam in praesenti, quae ad Gal. VI. 16. Act. XVII. 11. II. Pet. I. 19. & alibi habentur, quia ex dictis satis superque colligere mihi licet, plane idem

C 3

etiam

(a) *Ex hoc aliisque locis Celeberr. Pfaffius in Institutionibus Theol. Proleg. Art. III. §. VIII. p. 90. nil pro perfectione Scripturae Sacrae colligi posse statuit, quam ipsam tamen dein alia & admodum solida demonstravit ratione. Ego contra non urgebo, distinctionem inter probationem, qua perfectio Scripturae Sacrae, & qua, ut religionis principium illa probatur acceptanda. Sed pace tanti Viri, quae sentio, liceat exponere; concedam nempe, quod per se ex hoc dicto pro universa Scriptura S. nihil possit probari; attamen si a minori ad majus concludo, probatio optime procedit h. m. Si Canonem nondum completum jam homines debuerunt, illi regulam recipere, multo magis completum Scripturae Sacrae Canonem: nam ubique revelationis ratio militat, & in Novo Testamento, ubi Canon conclusus est, ea, quae scriptis comprehensa est, unice valens, fortius stringit. Hinc etiam Cel. Vir ejusdem generis argumentum p. 98. ad Joh. XX. 31. in medium profert.*

etiam Novum Testamentum docere, quod Jesaias proposuit Cap. VIII. v. 19. 20. Hoc autem effatum, cur explicandum mihi sumam, partim idoneum, ad scopum meum obtinendum, ejus in causa est argumentum, partim & Exegeseos me invitavit occasio, quam locus ille Prophetæ abunde suppeditat, in cujus explicatione omnes ferme variant Interpretes (b); ita ut præ ceteris mihi dignus sit visus, quia difficilis hujus textus est sensus (c), in cujus interpretatione, vires Dei gratia experirer. Valide autem exinde meum etiam assertum probari, sequentia docebunt. Poterat equidem ab initio statim objici, ad Vet. Test. hæc pertinere, atque ad præsentem statum haud quadrare. Sed nulla est objectio: Non enim regeram, quod tota Scriptura S. Vet. & Nov. Test. constans sit Principium Religionis, quod supra probatum dedi (d), nec denuo adferam, quæ de usu Vet. Test. etiam in Novo dixi; sed illud tantum moneo: hanc objectionem sapere hominem, non satis distinctionis inter Vet. & Nov. Test. gnarum. Nos enim ab iis, quæ futurum Messiam adumbrabant, exhibito corpore, ipso iudice Paulo Col. II. 16. seq., esse liberatos solutosque per se quidem patet; at huc pertinere, quæ in nostro loco habentur, nemo sanæ mentis asseret.

§. II.

Sed ad ipsius Prophetæ verba consideranda pergamus, ubi pauca præmittenda sunt. Jesaias nempe concionem, ex qua ea desumta sunt, habuit ingentis miseræ & tribulationis tempore, quo haud procul a desperatione abfuit populus Israëliticus, hostium incurfu mirifice perterritus, ut Cap. VII. & VIII. docent. Hunc populum non Dei, sed hominum auxilio & subsidio fretum Cap. VIII. 6. redarguit Propheta, comminans desolationem quasi universalem v. 8. Solatium tamen adjungit, prædicens, hostes non
tam

(b) *Vid. instar omnium Poli Synopsis ad h. l. ubi plerique excerpti apparent.*

(c) *Ut loquitur Celeberrimus Pfaffius l. c. p. 92.*

(d) *Cap. præced. §. XI. § vel sola Apostoli verba Eph. II. 20. nec non II. Tim. III, 16. coll. Act. XXVI. 22. confirmant.*

tam felices , atque sibi nunc imaginentur , esse facturos progressus v. 9. & 10. & quidem ratione reddita , quia adsit Immanuel ; quem etiam ingemiscens quasi alloquitur Propheta , & non obscure , ne permittat , terram suam penitus ruinæ dari per inimicos , precatur. Idque certo eventurum esse porro inquit v. 11. seq. (siquidem a Deo hoc sibi gratiose revelatum sit) , dummodo auditores fiduciam ad vires humanas respicientem abjicere velint , & Deo potius , tanquam Immanueli suo , majorem adhuc imposterum liberationem redemptionemque procuraturo , soli confidere studeant. v. 13. Quem deinceps , v. 14. 15. , oculos referens ad futura Nov. Test. beneficia Evangelica , describit , ut Sanctuarium seu solatium sanctum , & lapidem offensionis seu scandalum , illud nempe ratione credentium , hoc vero in respectu ad impios infidelesque. Testimonium autem hoc , eamque doctrinam , mysterium inquam illud revelatum , (quod nimirum Immanuelem nonnulli etiam ex Judæis ut Sanctuarium sint honoraturi) non solum proponit , sed & simul bene discipulis seu filiis Dei ea imprimenda esse dicit. Atque adeo ut uno verbo omnia comprehendam , adventus atque apparitio Immanuelis h. e. Messiaë , eumque adventum consequentia , Dei discipulis inculcanda perhibentur atque jubentur. Nam verba צור & חתום hunc involvere sensum , nonnulli jam agnoverunt Interpretes (e). De חתום non est dubium , quin significet *obsignare* , *sigillo characterem certum imprimere* , h. e. *einprägen* ; de צור vero , vel alia forma יצר forte adhuc posset dubitari , sed si penitus cogitemus , quod ea quoque radix denotet *formare* , *sculperere* , *efformare* , certe etiam admittere sensum , quem sustinet verbum *imprimere* , apparet. Quid enim Metonymia causæ pro effectu in Scriptura frequentius est ? Discipulis Dei ergo illa imprimenda esse , verbis citatis docetur. Sed duplex hic occurrit difficultas , quarum una concernit Subjectum Quod , seu personam , quæ hoc dedit mandatum , altera vero Subjectum Cui , seu personam , cui hæc

(e) Quos Polus ad h. l. collegit.

hæc sunt injuncta. Quæ ut solvantur, bene notandum est, non infrequens esse, præcipue Prophetis, in Orationibus mutare personas, ita ut mox hæc, mox alia loquens inducatur; quæ vero intelligatur, ex textus circumstantiis eruendum est. Non video ergo quid obstet, quo minus Deus hic talia præcepisse dicatur, & quidem ipsi Immanueli, h. e. Messiaë, cujus verba & responsio etiam v. 17. 18. continentur; Christi enim verba hæc esse, mox demonstrabimus, & quidem præeunte, qui in hac sententia probanda valde operosus est, acutissimo *Vitringa* (f). Quæ cum ita sint, hi denique Dei discipuli v. 19. 20. informantur, quomodo se gerere debeant, tam in angustiis, quam tota vita, præcipue contra hos, qui alium quam verum Deum jubeant vel suadeant consulendum.

§. III.

Connexionem hæctenus in genere tradere allaboravi, nunc illam probare & latius deducere non erit supervacaneum. Quod hunc in modum ostendo: Cap. VIII. minimum a v. 13. cum Cap. IX. esse connectendum, & ambo de Messia agere, verba ipsa docent. Connexio etiam Capitis VIII. monstrat, omnia quam optime & facillime ad Christum applicari posse. Quæ non adduco pro firmanda mea sententia; sed ex ipso sermone Prophetæ, cæterisque ejus partibus, aliisque argumentis hoc probare conabor. Inter quæ primarium est, quod hæc Pericope præcipue de Immanuele, qua voce nemo nisi Messias indigitatur, loquatur. Quem si hic intelligi neges, nullum plane sensum admitterent v. 13. 14. 15. in primis si Rom. IX. 33. conferatur, ubi expresse præmissa formula: *Scriptum est*; hæc nostra adducuntur verba. Sed non hoc solum loco nitor; præsto est alius maxime luculentus, ad Ebr. II. 13. Ex quo quidem *B. Glassius* (g) nihil probari posse putat, quia per modum Typi, accommodationis, aut allusionis hic explicari queat. Sed

(f) *In Commentario ad h. l.*

(g) *In Philol. S. L. IV. Tract. III. Obs. XXI. p. 1392.*

Sed post alios laudatus *Vitringa* (h) bene monet, Paulum hinc argumentum deducere, quo demonstret Messiam redemptorem eandem naturam humanam debuisse participare, quam ceteri homines ab ipso redimendi habeant, quæ sane nullius esset valoris probatio, si hæc verba in V. T. de alio essent intelligenda. Concludimus ergo ad hæc ipsa Messiaë tempora etiam v. 19. 20. pertinere, eaque de re tanto minus dubitabit, quisquis Historiam Ecclesiasticam Nov. Test. callet (i). Vnde denuo elucebit, me valide ex hoc loco, quod volebam, adstruere posse.

§. IV.

Antequam vero ulterius progredior, paucis adhuc monendum duco; licet etiam quis dicat, hunc locum non agere de Novo Testamento, sed tempora magis Jesaiaë respicere, non tamen omni probationis vi illum destitui. Quia, quæ Judæis hic injungitur, Divina Revelatio consulenda, etiam apud nos adhuc superest. Illa vero Interpretatio, qua v. 17. 18. parenthesi includendi, & sic v. 16. & 19. ut conjungendi concipiuntur, hoc sensu: Judæis esse prohibitum, dubios bellorum eventus percontari, orta videtur ex male intellecto v. 16. ac si is occultationem proponeret rerum Jesaiaë revelatarum, idem vero cum aliter sit explicandus, totum etiam evanescit dubium. Sed progrediendum est, & considerandum venit, tam Principium Religionis Negativum seu falsum, quam Positivum seu verum. Falsum nobis his verbis sistitur: דרשו אל - האבות כי יאמרו *cum dixerint*, scilicet quidam: ואל - הידענים *consulite Pythones, & Hariolos*. Quæ quod denotent illos, qui opera Diaboli hominibus dant responsa, constat. Hisce vero duabus vocibus non tam personam divinam, quam potius spiritum ipsum fatidicum indicari, colligunt alii ex Lev. XX.

D

27. (k)

(h) In Comment. ad hunc Jes. locum.

(i) Hinc bene *Vitringa* ad h. l. observat: *Mystice his verbis intelligi omnes Doctores, qui se divinos esse jactant, & multarum rerum in religione volunt esse gnari, quarum tamen notitiam, ex Lege Dei aut Christi non petiverunt, & qui traditiones mortuorum majori studio commendant, quam Verbum Dei & Christi Cujusmodi erant Pharisei &c.*

27. (k) Ex cujus Cap. v. 6. etiam patet, quale quantumve peccatum sit consulere hariolos, ita ut illos consultans morte, ex præcepto Dei sit afficiendus. Nominat vero h. l. Spiritus S. hariolos מַצְפִּי, quæ vox Jes. X. 14. XXXVIII. 14. de avium, & XXIX. 4. de pythonum sibilatione occurrit, quia ejusmodi susurratione fiebat Divinatio. Quicquid vero hujus sit, satis est ipsam vocem אֵב detestandum nobis indigitare divinationis genus. Atque eundem ferme sibili significatum etiam מְהִיגִים involvere, asserit Ingeniosus *Vitringa*, hoc participium *cum difficili atque anhelo spiritu loquentes*, ex Psalmo CXV. 7. h. e. gementes, spirantes &c. reddens. Licet hoc magis ex Jes. XXXVIII. 14. ubi de gemitu columbarum adhibetur, posse probari, mihi videatur. Nonnulli etiam per יְרַעְנִים Divinatores multiloquos non male intelligunt. Quibus tamen non immoror, cum mihi satis sit, ex dictis nosse, quodnam sit falsum illud Principium primum commemoratum.

§. V.

Non tantum vero proponit Propheta, ea, quibus nonnulli fidelibus, persuadere allaborabant, alios præter Deum ut consulerent; sed &, quid talibus impiis opponere ac respondere iidem debeant, adducit. Non urgeo, quod aliis in locis jam harioli, & pythones, sint rejecti, sed ex ipsa constructione hoc patere dico. Est enim oppositio inter verum Deum & hariolos, quos, cum quis consulendos vellet obtrudere, respondere jubentur fideles: חֲלוּא עִים - אֵלֵינוּ יִרְרֵשׁ nonne populus Deum suum querat & consulat? i. e. omnino id faciat (1). Cæterum ita Sanctissimum illud Numen fidelibus (qui vers. 19. describuntur) commendat Jesaias, verbis

(k) Ad quem locum Michlal Jophi ea quæ de אֵב אֵבִים & אֵבִים communiter dicuntur, tradit. Si quis tamen præferre velit, probabiliorem hypothesin S. R. Deylingii in *Observ. Sacr. P. II. Observatione XLIX. p. 192. seqq.* qui Obh, de vase aqua pleno, in quo evocati imago comparuerit, audita simili sibilatione, intelligat, non refragabimur.

(1) Vid. *Interpres Celeberrimi Danzii* §. 147 & 114. coll. cum Luth. versione §. 68. (f)

verbis modo allatis, ut tamen emphatice adjungat: **כער** (m) **אל-המתים**, *pro Vivis mortuos?* ita enim pronunciatione, admirationem vel interrogationem indicante, sensui consultur (n): qui planissimus erit, si uti supra innuimus, particula **אל**, verbum accedere, cum **שרש** prægante jungas. Si vero quis etiam ex verbis præcedentibus **ה** repetere velit, mihi perinde erit, cum eodem sensus redeat. Hæc itaque & præcipue **המתים** dum consideravi, talem struxi versionem: Pro (seu potius præ) *Vivo mortales?* referens nimirum **אלוהיו** ad **הים**, quippe cujus formæ in Plurali est conveniens, Deo autem hoc prædicatum competere Sacrae Pandectæ (o) nos dubitare non permittunt. Quid? quod vocabulum **מתים** non sine Emphasi hoc modo magis quadraret ad Hariolos & Sciolos, quo quasi illis illuderetur, quippe qui nil essent quam homines mortales. Cui tamen sententiæ omnino videtur præferenda illa *Vitringa*, ita reddentis: *Num pro vivis* h. e. vivorum gratia, consulat, scilicet populus, *mortuos?* tum quia **כער** non facile substitutive pro **חתת** adhibeatur, sed habeat significationem utilitatis, cujus in actione respectus est, tum quia illa explicatio magis ad materiam substratam de haruspibus quadret. Quicquid vero hujus sit, nobis sufficiat, Deum esse consulendum **לתורה ולתעורה** (p). Quibus verbis Scripturam Sacr. indicari per se patet, præcipue cum utraque vox Verbum Dei significet. Non tamen inutile erit, aliquantulum hæc distinguere, & per **תורה** Legem specialiter sic dictam, intelligere, **תעורה** autem per testimonium, testificationem

D 2 nem

(m) *Interpr. Danzii* §. 125. not.

(n) *Sic bene omnia coherent, licet sit sermo abruptus, qui Prophetis est familiaris, & responsio per solam pronunciationem intelligitur* l. c. §. 179.

(o) *Gen. XVI. 14. Ps. XLII 3. Act. XIV. 15. Philosophiam ut nunc taceam.*

(p) *Si vero mavis Præfixum ל in nostro idiomate omittere, illudque ad שרש, quod vel sine vel cum præpositionibus construitur, referre, per me licet; nam cum אל in nostro loco, cum ל vero etiam, II. Paral. XVIII. 13. occurrit: posteriori enim modo hæc exsurget versio: Populus consulat Legem & Testimonium.*

nem Evangelicam: (q) utpote quæ testatur de Gratia Dei, de- que promissionibus & beneficiis per Christum impetrandis, expli- care. Imo, licet etiam תעורה de Doctrina in Vet. Test. adhi- beretur, nihil mihi decederet, quia tam in Libris Mosis, quam Prophetarum innumera de Evangelico obvia sunt fœdere docu- menta. Ut taceam hac distinctione accuratissime totum Verbum Dei dispesci, (nam quæ divisio Luc. XXIV. 44. occurrit, magis ex- terna quam interna respicit) id quod Doctrina fœderum fatis com- probat. Primarium vero est, quod Jesaias respiciat ad Fœdus Evangel. & quidem hujus Oeconomiam Christianam. Si vero quis hanc meam sententiam de distinctione תורה & תעורה nollet recipere, idem tamen mecum indistincte hisce vocibus Verbum Dei intelligens sentiret, quod ego per illas ad Legem & Evangelium divisim respiciendo, indigitari puto.

§. VI.

Sed non contentus Jesaias allegasse Verbum Dei, ut Reli- gionis Principium, ulterius addit rationem, qua vel illud ipsum commendat, vel sub pœna recipiendum injungit. Dicit enim אִם - לֹא יֹאמְרוּ כִּדְבַר הַזֶּה אֲשֶׁר אֵין לוֹ שֹׁחַר quæ communi- ter ita redduntur: *Si non dicunt secundum verbum hoc* (scilicet Lege & Evangelio constans) *non erit eis* (seu nulli) *Aurora*: quo indicatur pœna, quæ dein Vers. seqq. continuatur. Nulla in hac Versione mihi obvia est difficultas, nisi illam moveas, quod לוֹ fit Singularis, & יֹאמְרוּ Pluralis Numeri: quæ tamen adhibita distributione seu partitione tritissima, facile declinatur. Sic etiam שֹׁחַר in sua, si non propria, attamen communiori significatione reti-

(q) Et neque ex hoc Cap. vers. 16. neque Psal. XIX. vers. 8. probat contrarium, sed potius favent, quia ambo respiciunt Nov. Test. & Psal. l. c. סְחָרִים bene Evangelio convenit. Imo vero tam hic quam Exod. XXV. 16. & XL. 20. ne quidem תעורה legitur, sed ערות. Tandem etiam non nego תעורה legem signifi- care posse; an vero hanc h. l. denotet, nullam video causam; præcipue cum 1. Joh. V. 11. Ap. XIX. 10. Job. III. 32. add. Rom. II. v. 16. aperte testi- monium pro Evangelio adhibeatur.

retinetur, atque hinc in *Michlal Jophi* (r) redditur etiam per זוהר ובריירות. Imo sunt loca, in quibus non nisi de Aurora potest intelligi, ut vel unicus ille Gen. XIX. 15. coll. 5. probat. (s) Et forsitan nemo non hanc arriperet interpretationem, modo אשר pronomen non interpositum esset. Non nego, quod ad דבר quadret, ex alia tamen ratione ad יאמרו retuli, contextu id suadente, h. m.: *Si non quisvis dixerit secundum verbum hoc, omnino non erit ei Aurora.* Affectui enim vel Jesaiæ vel fidelium satis convenit, si pleonastice hic אשר dicatur positum, ita ut sit particula expletiva id fere significans, quod alias enunciamus per utique (t). Quo pacto difficultas esset sublata, quæ in causa fuit, quo minus B. Glassius (u) hanc agnosceret versionem, aliamque adduceret: *Ad Legem & Testimonium, si non: dicant secundum verbum hoc, cui non est aurora.* Sed eam esse contortam, partim quia לא - אלא a Verbo sejungitur, partim quia יאמרו Ironice (ut ipse B. Vir loquitur) est adhibendum, quilibet agnoscit. Ast plura adhuc supersunt, quæ firmant supra allatam Versionem. Satis enim notum est Lucem, & Illuminationem, adscribi Verbo Dei (x). Bene ergo etiam talis felicitas illis, qui id spernunt, denegatur: imo vers. 22. חשכרה, ut poena clarissime subjungitur, quod idem est, ac si Propheta diceret: Qui non recipit Verbum Dei, non habet Auroram seu Lucem, sed manet in tenebris. Tandem etiam juxta meam sententiam vers. 21 per ו bene cum comm. 20. cohæret, cum poena quæ vers. 20. quasi in genere fuit indicata,

D 3

nunc

(r) Ad hunc locum.

(s) Vesperascente enim Cælo urbem introiverunt Viri illi, qui postquam apud Loth pernoctarunt, oriente Aurora exierunt. Plura dabit B. Glassius *Philol. S. L. V. T. I. C. X. p. 1680.* præprimis nota Hof. VI. 3. 7es. LIX. 8. in quo ipse Vir Cel. Theod. Hafæus *Bibl. Brem. Cl. I. Fasc. I. n. 3. §. 16. p. 56.* hunc admittit significatum.

(t) Schmidius, de Dieu ex *Psal. XCV. II. CXLIV. 12. 1. Sam. XV. 20. II. Sam. I. 4.* hanc significationem probare voluerunt, allegante Vitringa. *Conf. Noldius.*

(u) l. c. p. 1681.

(x) Satis notus est primarius ille locus *II. Pet. I. 19. & II. Cor. IV. 6. Eph. III. 9. Psal. XIX. 9.* Plura dat B. Glassius l. c. p. 1673.

nunc amplius deducatur, verbis: *Et transibit quivis per eam, כֹּרֵה, scilicet terram, induratus & esuriens &c.* Eam quam hactenus comprobavi interpretationem, sufficientem judicat laudatus *Vitringa*, ex abundanti tamen addit aliam, quam etiam hic adducam: Scilicet, subaudiendam esse existimat, *juro, si non dicunt, secundum verbum hoc, quod nulli eorum erit Aurora.* Quam meam non facio, sed aliam potius cum prima tamen maxime convenientem, aliis examinandam proponam, quæ huc redit. Frequentissima nimirum est Verbi Substantivi ellipsis, hoc si adhibeatur, facilis est sensus hoc modo exprimendus: *Si non quivis dicit secundum verbum hoc; erit (scilicet talis) cui non Aurora, h. e. erit cæcus, infelix, &, ut ita loquar, inilluminatus.*

§. VII.

Sed hisce relictis paucis adhuc illa Celeberrimi *Dn. Theodorici Hasæi* est consideranda Interpretatio (y) quæ huc redit: *Annon loquentur juxta verbum hoc, cui non est obscuritas? vel, quod si non loquentur &c. tum eas pœnas habent expectandas,* quæ commate sequenti proponuntur. Non ægre tamen laturum spero, Celeberrimum Virum, cujus eximia eruditio, & singularis modestia, omnibus est nota, si quædam hic monuero. Nolo afferre, quod לא יאמרו דא durius sonet, per *annon loquentur*, redditum; mihi minimum ejusmodi constructio non est perspecta (z). Altera vero versio: *quod si non loquentur &c.* versiculi seq. adhuc exposcit nexum, & tamen ו non accurate satis connectit. Non magnopere jam urgebo; quod in genere de tota Scriptura S. non bene dicatur, nullam illi inesse obscuritatem. Sed adducere placet tantum ea, quæ שחר רò, per obscuritatem translatum, spectant. Non quidem est, quod quis neget שחר plane nunquam signi-

(y) *Quæ non sine maximo Ingenii acumine composita est & proposita, in Diss. quadam in hunc locum. Sed vehementer doleo, quod neque hujus, neque historiae Criticæ in cujus T. XIII. ea sistitur, compos fieri potui. Attamen illam in Bibliothec. Brem. Cl. I. Fasc. I. n. III. §. XV. p. 55. paucis perspexi, ex quo opere me jam multum profecisse publice profiteor, hinc Deum precatus, quo Cel. Virum ut Auctorem & Collectorem hujus thesauri toto litterario orbi diu conservet.*

(z) *Cujus Exemplum ne unicum quidem etiam Noldius allegavit.*

significare posse obscuritatem, sed huc quæstio redit, an hæc significatio, ut §. 15. loc. cit. dicitur, sit propria? Certe ex locis supra allatis, iisque, quæ adhuc adducenda sunt, apparebit, significationem שחר si non propriam saltem communio-rem esse, qua Auroram designat. שחר enim proprie medium inter lucem & tenebras, cujus generis est Aurora, denotat. Et sic quoque אילת השחר Psal. XXII. licet egregie & erudite, de Instrumento lugubri, explicetur, mallet tamen illam, quam ipse Cel. Vir §. XIV. adducit sententiam, de Instrumento, mane seu diluculo adhibito, amplecti. Locorum quidem adductorum (a) nonnulla, dabunt aliquem, fundentque sensum, si שחר per obscuritatem reddatur; attamen faciliorem reddent si per auroram vertatur, imo nonnulla necessario hunc postulant significatum. שיחור inquit Vir Celebr. vocatur Nilus, a nigredine; sed quid obstat, quo minus ita audiat, quia aqua non fluebat limpida sed turbulenta (b), quæ nondum est nigra, sed flavedinem potius refert; unde nonnullis Albis videtur dictus. Qui color parum differt ab Aurora. Quæ de שחר dicuntur huc non pertinent, quia ob aliam rationem vinum ita vocatur. Sententiam vero suam, ulterius probaturus addit Psal. CX. 3. Nolo vero adducere rationem, qua alii hunc locum eleganter explicant; quo & B. Glassius pertinet (c). Sed illud tantum moneo, quod טל magis conveniat, cum utero Auroræ, quam cum medio noctis: alia ut taceam. Jes. XIV. 12. vertit, *filium tenebrarum*, sed melius est, si reddas *per stellam matutinam*, qua nempe felix status Babelis describitur, qui dein fuit infelicissimus; ad illum vero respici, sequentia ejusdem commatis evincunt. Ad Psal. CXXXIX. 9. nil opponam, (quia argumenta hic non apparent) nisi quod paulo post de tenebris seorsim agatur v. 11. Ne quid de oppositione occidentis dicam. Joel. II. 2. ipse elegantem esse explicationem, *tam longe lateq[ue] se*

(a) l. cit. in Bibliothec. Brem.

(b) Quam ipsam vocem Senecam L. IV. Nat. Quæst. II. de Nilo perspexi adhibere.

(c) Glassius l. cit. p. 1681.

se diffusurum esse diem judicii, ut Aurora sive Lux, agnoscit. Et si hoc respectu, scilicet ratione celeritatis, & amplitudinis שחר adhibetur, nihil obstat, quod alias significet statum felicem. De Hof. X. 15. conf. B. Glassius (d). Amos IV. 13. non probationis, sed appendicis loco adjungit Vir Celeb. vertens: Qui facit tenebras splendorem. Sed quid est, cur non vertatur: qui facit auroram & tenebras; aut qui facit Auroram, (ubi scilicet Lux tenebris est immixta,) splendorem seu lucem perfectam. Quæ de derivatione schwarz a שחר dicuntur, me parum movent, tum quia est admodum dura, tum etiam quia & nos, quæ non sunt perfecte nigra, nigra vocamus. Ex hisce ergo nondum convictus sum, necessario שחר esse reddendam per obscuritatem. Quamcunque vero quis eligat Versionem, mihi nil decedit in probanda exinde thesi mea. Quicquid vero hujus sit, satis mihi est, si modo quis Verbum Dei recipit, consulitque.

SECTIO II. DOGMATICA.

§. I.

Varia quidem ex hæcenus explicatis Jesaiæ Verbis possem deducere Dogmata; sed respiciens scopum & modum meæ tractationis, unicum aut primarium considero: *Verbum Dei nimirum pro Principio Cognoscendi Religionis unico esse adhibendum.* Nemo certe de hac veritate potest dubitare, quisquis ponderat, cum alia, tum hunc etiam Prophetæ locum. Deus enim id (I.) injungit, per emphaticum illud שרש, & quidem (II.) addita pœna, quod illi, qui Verbum Dei negligunt, careant illuminationis divinæ tandemque salutis beneficio. (III.) Alia etiam rejicit Principia, solo Dei Verbo nobis commendato propositoque. Hoc ipsum vero beneficium, & in genere fidem illam divinam, qua non tantum Scripturam S. ut divinam recipimus revelationem, sed & omnibus, quæ ibi proponuntur, plane assentimur, per *Auroram fidei*, ut quilibet intelligat, ab initio statum subinuere volui. Et hæc vox sane bene hic adhibetur. Nolo prolixè

(d) l. cit. p. 1681.

lixè probare, quod Jesaias idem mecum sentiat, sed paucis hæc addo; Statum irrogenitorum per tenebras, statum vero regenitorum per lucem exponi, ut Jes. IX. 2. LX. 2. 1. Thes. V. 4. 5. Eph. V. 8. Joh. XII. 35; actum vero, quo quis ex illo in hunc transit statum, per illucescere, seu auroram, cum nempe lucefcit, describi II. Pet. I. 19. I. Thes. V. 4. 5. Rom. XIII. 12. Cum vero nostra in hac Vita Cognitio non sit omnibus partibus absoluta, sed imperfectionibus laboret, ita ut plena lux in altera demum vita sit exspectanda; Non video quid obstet, quod minus nostra fides, quanta quanta etiam sit, vocetur aurora, ubi lux non plenarium habet splendorem, teste ipso Paulo I. Cor. XIII. 12. II. Cor. III. 18. V. 7. Unde & *B. Glassius* (e) verba II. Pet. I. 19. eleganter de plenaria luce in altera demum vita exspectanda explicat. Illius vero & hujus deinde ut compotes fiamus, adhibendum sane est Verbum Dei. Adhibent quidem hoc omnes Christianorum Cœtus; Sed dolendum, quod vel tres in Romano-Germ. Imperio, in modo illud applicandi multum differant discrepantive. Hinc etiam patet, num Vnio sit speranda, cum etiam in principio discrepemus, id quod facile constabit, si cujuscunque religionis sententiam, etiam hac in re, examini ad Jesaiæ Verba subjiciam. Tuum dein B. L. esto judicium, quænam religio optime se in hac gerat materia. De Ecclesia Orientali, ejusque diversis cœtibus non est, ut quid adducam, conveniunt enim cum una ex adductis, atque sic quando de his tribus quædam judicamus, de illis etiam, quid sit sentiendum, constabit.

§. II.

Ecclesia Romana quidem gloriatur, se Verbum Dei pro principio Cognoscendi agnoscere; sed quo modo cum hac thesi conveniat, quod Scriptura non omnibus legenda conceditur, non perspicio. Vbi enim Laicorum Principium Cognoscendi reperitur?

(e) l. cit. p. 1679. Et satis notum est discrimen Beatitudinis hujus & illius vitæ, ex plurimorum sententia, licet non essentialiale, attamen graduale, seu, quod idem est distinctio Luminis Gratia & Glorie.

peritur? Plane ergo id Jesaiaæ contrariatur verbis (f), qui dicit: **וְהָיָה יְרֵשׁ הָעָם** *consulat populus*; quo sine dubio etiam Laici veniunt intelligendi. Illud autem quod dixi, in hac Ecclesia fieri, praxis loquitur, confirmaturque exinde, quia traditiones pari pietatis affectu (g) & reverentia, suscipit & veneratur, ac verbum Dei. Et quem latet, quod etiam Autoritas Papæ sit pro principio in Ecclesia Romana, quamvis non ubique eadem ratione & amplitudine. Nolo afferre quæ in Mortuorum apparitionibus, quo nonnulli etiam locum I. Tim. IV. 1. de doctrinis Dæmoniorum, in Esaia nostro diferte rejectis, referunt, in hac Ecclesia fiunt. Nec alia addam, cum mihi viri magni nominis (h) hac in re jam fecerint otia.

§. III.

Meliores Pontificiis sunt, Ecclesiæ Reformatæ vel Calvinianæ addicti, quia traditiones humanas, aliaque Pontificiorum commenta rejiciunt. An vero recte ut decet, & ipsi adhibeant Verbum Dei, nunc dispiciamus. Paucis ut me expediam, admittere illi videntur mihi Philosophiæ & rationis usum magisterialem potius, quam ministerialem; si quidem non ex protestationibus, facto admodum contrariis, sed ipsa Praxi, in quamplurimis Controversiis fidei, æstimes. Controversia certe illa insignis (cum qua aliæ sunt connexæ) modum præsentiaæ Corporis Christi cernens, tale quid non obscure indicat, quicquid etiam dissimulent. Aliis dijudicandum relinquo, annon Doctrina de Prædestinatione & Reprobatione, (in qua tamen hodierni cautius loquuntur antecessoribus) aliquam & justo majorem æstimationem rationis sapiat? quia hoc modo, ut forsân putant, melius doctrina de ortu mali & damnatione possit explicari. Vt cæteras omittamus.

(f) Præcipue si adjungimus I. Thes. V. 39. Rom. I. 7. ubi Ecclesiæ universali fit dedicatio. it. I. Thes. V. 27.

(g) Concil. Trident. Sess. IV.

(h) Vt B. Quenstedt in *System. Theol. P. I. C. III. S. II. p. 36.* Cl. Buddeus in *Diss. cit. de Pelagianismo*, & I.æberus in *Diss. sub illius præsidio habita: de omnibus concedenda Scr. S. lectione*: & instar omnium Cl. J. Frickius, in *Inclementia Clementis*.

mus. Sed objiciat mihi aliquis Patronus hujus Ecclesiæ: In nonnullis tamen locis principii Cognoscendi seu Scripturæ S. tam difficilem esse sensum, ut omnino sit confugiendum ad rationem; Ast rehero: Succurrere tunc Analogiam Fidei, a Paulo Rom. XII. 7. maximopere commendatam, quæ ex locis claris & facilioribus est constituenda, ut ad hanc deinceps difficiliora exigi, & sic tota Scriptura ex Scriptura explicari possit. Alium interpretandi modum non esse approbandum, revelationis ipsius divinæ docet natura. Ratio fidei, non hæc illi est subjuganda. Dum ergo Reformati rationi plus justo tribuant, omnino non recte faciunt; nam Jesaias nos non ad eam, sed Legem & Evangelium ablegat, omniaque alia rejicit Principia: Cum Jesaia vero plane Christus Apostolique conspirant (i). Talia vero quæ dixi, Ecclesiam Reformatorem etiam diserte docere, ex idoneis Autoribus probat B. Quenstedtius (k). De Socinianis nil est quod addamus. De Remonstrantibus S. R. PRÆSES (l) potest consuli.

§. IV.

Sola Ecclesia Lutherana etiam hac in re habet, de quo sibi gratuletur, quia adhibet Verbum Dei, juxta Verbum Dei, hoc est adhibet, ut unicum Principium Cognoscendi, id quod Jesaias nobis injungit, & alia suadent jubent & approbant. Talis vero est Lutheranorum mos, ut omnia ad Scripturam S., neutiquam hanc ad regulam traditionum vel rationis examinent præbentque. Illum ergo quem dixi, & non alium modum, Scripturam ut Principium adhibendi, recipiunt Lutherani, id quod Libri nostri Symbolici testantur. Bene forsitan, inquiet aliquis, his ipsis admoneor, ut taxem Lutheranos, qui multum de Verbo Dei unico Principio crepant, & tamen Libros Symbolicos ut normam & Principium, quia ad illos volunt doceri, propositasque doctrinas examinari, perpetuo inculcant. Sed en frigidam oppositionem toties quoties a nostratibus solutam! Libri nostri Symbolici, nil sunt, quam professio fidei publica, & Scripta Apologetica, ex quibus Veritas Doctrinæ non probatur, sed ex ipsa Scriptura S. quippe ex qua ipsi Libri Symbolici tanquam ad illud Sanctissimum unicumque Principium sunt exarati compositique. Hanc autem Lutheranorum esse sententiam, ipsi testantur Libri Symbolici (m). Desinant ergo Obtrectatores, nos ob hos libros objurgare: Taceant & discant, ad Jesaiæ Effatum, Verbum Dei sicut nos facimus, recte, ut Principium Religionis, adhibere, & sic tandem quivis de sua salute certus red-detur.

SECTIO

(i) Joh. V. 39. Rom. XII. 6. Coll. II. Pet. I. 20. II. Cor. X. 6.

(k) In System. I. c. p. 40. Add. B. Meisnerus in Philosophia Sobria P. I. S. IV. quæst. 2. & Musæus contra Vedelium. Et qui de hac Reformatorem thesi dubitat, videat instar omnium Maresum in System. Theol. Loc. I. §. 16. 19. 20.

(l) In Breviario Controvers. cum Remonstrantibus Contr. III. p. 27.

(m) Pag. 570. 571. 572. 632. 633. Addatur Musæus in Prælect. in Epitomen Form. Conc.

SECTIO III. MORALIS.

§. I.

Religio non tantum circa cognoscendum, sed & colendum Deum versatur, utrumque vero nobis plenissime monstrat, uti dictum est, Scriptura S. Ad utrumque ergo etiam illam adhibeamus oportet, quia Jesaias etiam in genere dicit *וְיָרָא*, *querat* quilibet Deum, in omnibus scilicet Religionem concernentibus. Sed multi prohi dolor! inveniuntur, qui multum quidem jactant, se adhibere Scripturam S. ut Principium Religionis; penitus vero re inspecta, facile agnoscemus, ejusmodi homines quidem in theoreticis ei inhzere, neutiquam autem in practicis seu colendo Deo. Plurimi hinc sæpius aliorum vitam habent pro principio seu regula. Unde vero hoc oriatur Præjudicium (n) proclive est definire. In theoreticis enim facile quis potest cum Scriptura S. consentire; si vero hæc incipit proponere emendationem animi, abnegationem sui, laudes & gratias Deo agendas, tunc aqua hæret, & Scriptura Sacra ut Principium Religionis, non placet nec arridet. Quo fit, ut ejusmodi miser homo suarum actionum a Verbo divino, agnoscens discrepantiam, solatium sed admodum lubricum in aliorum male agentium querat exemplo. In aliis vero aliam mihi videor deprehendisse rationem. Dicunt nimirum, in Theoreticis Scripturam Sacram esse necessariam, quia Philosophia hæc non satis assequatur, sed in practicis Philosophiam esse sufficientem, utpote quæ officia Jure Nat. præscripta tradat, inprimis illis, qui non ex professo Sacra tractant. Illis vero, qui his operantur, ceterisque, qui vulgus appellantur, cum hi non valeant Juris Naturæ principia penitus investigare, Revelationem esse necessariam. Ast licet forsan hoc, ut superius præjudicium, ex eodem fonte oriatur, tantum rehero: Quæstionem hic non esse, utrum is, qui officia Juris Naturæ observat, bene recteque faciat, sed an omnia perfecte inde cognoscere & observare possit? contrarium certe supra probavi. Huic ergo morbo est medicina paranda, per Christum, quem sistit revelatio; atque hinc tam in theoreticis quam practicis etiam pro principio Scripturam Sacram esse habendam, denuo apparet.

§. II.

Sed quomodo quereso! quis Scripturam Sacram ut divinum poterit adhibere Principium, qui ne quidem illam legit, vel si legit, non tamen eo, quo decet ordine, perlustrat. Pauca hinc, colophonem dum Dissertationi impono, de hac Verbi Divini tractatione adjungo. Duplicem nempe illam esse, Exotericam & Acroamaticam constat; non vero de hac, sed de illa mihi est sermo. Exoterica itaque requirit I. *Lecturam*, quæ non tam parce, ut a nonnullis fieri solet, est instituenda. Et quidem Scriptura Sacra est legenda justa intentione, voluntatem nempe Dei inde cognoscendi, vitamque ad hanc tanquam regulam instituendi. Læctioni II. accedat *Auditio*. Sæpe enim aliis impediti rebus, plane Scripturam Sacram non legunt, vel in ipsa læctione attentio abest, quem defectum supplere possunt, si Verbum Dei sæpius audiant. Viva enim vox multum afficit. Tandem III. sequatur utramque *Meditatio*, qua omnia pervestigamus, ruminamus, & quasi in succum & sanguinem convertimus. Hæc qui faciet, non dubito etiam, quin ea, quæ legit, & in animum admisit, sit in vita demonstraturus, & non tantum hoc factururus, sed & Deo pro tanto beneficio, quod suam nobis patefecit voluntatem, gratias debitas acturus. Cui & ego gratias pro sua in hoc opere mihi concessa gratia, exsolvo maximas, additis precibus, ut me magis magisque in veritate Verbi sui, tanquam Auroræ Fidei, conserveat atque confirmet.

(n) *Celeberr. BAIERI Diss. de præjudiciis practicis, plura nobis sistit præjudicia.*

V I R O

MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO
DN. CHRISTOPHORO SONNENMAYER,
PASTORI IN COMIT. PAPPENH. BISWANGENSI
MERITISSIMO,
S. P. D.

GVSTAVVS GEORGIVS ZELTNER, D.

Quod acutissimus quidam Reform. Eccl. Theologus nuper admodum de genuino Scripturæ Sacræ lectore ingeniose scripsit: Non Astronomo eum similem esse, sed Nautæ, qui cælum non ita contemplatur, ut nova phenomena detegat, sed ut cursum suum ad locum, ad quem contendit, feliciter dirigat; idem, ut Christianorum omnium, ita potissimum eorum, qui alios docent, aut eo animum præparant, officium esse arbitror. Si quis vero alius, inter posteriores, mihi obtigit hanc methodum studiose consecutus, is profecto Filius Tuus est, Dissertationis hujus Author, optimique Patris, qua mores & eruditionem, vivida imago. Neque vero solum in Acad. Salana cæpta quondam & apud nos continuata laudabiliter studia Theologica, ex Scripturæ Sacræ lectione ad legitimum finem, τὴν ἐπίγνωσιν ἀληθείας πρὸς εὐσεβείαν, recte instruxit, sed scopum quoque assecutus est feliciter, dogmatum videlicet & præceptionum sanctitate, e fonte illo limpidissimo hausta, ad fidei puritatem integerrimæque vitæ honestatem constanter usus. Dignus hinc mihi visus est, quem Tibi primum, VIR VENERANDE, tum vero etiam bonis omnibus his literis commendarem, libellumque hunc Academicum ipsius perquam laudabili, & solius quidem industria conscriptum testarer, atque Ecclesiæ Jesu Christi maxime idoneum Doctorem, Pastoremque inprimis δυνατὸν ἐν γραφαῖς, eum fore ominarer. Idque dum præcor, præcor autem ex animo, Tibi simul novam, quam his diebus accepisti Spartam, seu κληρὸν, post Neudorffensem pulchre administratam, Biswangensem gratulor, Filiique in Tua vestigia ingressum fortunatumque actionum cunctarum successum expecto. Faxit Deus, ut hæc Aurora fidei doctè descripta initium sit fortunarum ipsius ad meridiem usque lucidissimam magis magisque procedentium, donec in plena luce, qua non per specular, sed coram ipsum spectaturi sumus, una omnes & æterna luce leti fruamur. Ita vale, VIR VENERABILIS, & me porro ama. Scrib. Altorphi Noribergensium d. 3. Mart. A. R. S. M D C C X X I I I.

CLA-

CLARISSIMO
DISSERTATIONIS AVTORI
JOH. GVILIELMVS BAIERVS, D.

S. D.

Multum mihi gratulor occasione oblata ad declarandum publice, quam mihi haecenus jucunda & suavis fuerit Tua, VIR CLARISSIME, consuetudo, & quanti Tuam virtutem aestimem atque eruditionem. Venisti ad nos rectissimis jam studiis doctrinisque affluens, non tam tuis, quam aliorum inserviturus commodis, alienus tamen ab inani ostentatione scientiae. Inter haec, quod Tibi superfuit temporis, neutiquam otio dedisti, sed lectioni, auscultationi, meditationi, aut rerum optimarum colloquiis, quibus & nostrum saepius excitare studium & pascere animum voluisti. Laetatus sum, quoties Te in coetu disquirentium de *Articulis Augustanae Confessionis* eorumque *Apologia* sive oppugnatorem habui, sive defensorem. Utrunque enim nihil non acute cogitatum, ordinate dispositum, inquisitione dignum & utile attulisti. Nunc igitur, quando, omnibus ex voto peractis, abitum Tuum ex Academia luculento ingenii specimine, in lucem publicam edito, honestare instituisti, non possum non Tibi priscum illud feliciter! succlamare, & in posterum fausta quaevis comprecari, ominari.
Vale, nostrique memor vive.



Coll. dis. A. 239, univ. 51